

D E

ARBITRIIS FVNERIS AD INTERPRETANDA TVLLII VERBA

ORAT. PRO DOM. AD PONT. CAP. XXXVII. ORAT. IN PISONEM

CAP. VIII. ORAT. POST RED. IN SENAT. CAP. VII.

P R A E F A T U S A L I Q V A

PERILLVSTRES AC GENEROSISSIMOS ILLVSTRIS AFRANEI

EPHOROS

CETEROSQUE OMNIS ORDINIS AC DIGNITATIS

V I R O S

QVI BONIS LITERIS ET AFRANAE REI

BENE CVPIVNT

A D

BENEVOLE AVSCVLTANDOS ORATORES ADOLESCENTES

DIE I. ET III. MENSIS JVNII

• 1 9 C C X X X X I I I

S V B H O R A M N O N A M M A T V T I N A M

DICTVROS

T E R R E V E R E N T E R A C P E R H V M A N I T E R

I N V E T A T

M. THEOPHILVS GRABENERVS

ILLVSTRIS AFRANEI RECTOR.

M I S E N A E

IMPRIMEBAT IVSTVS GODFREDVS LOEVVVS.





66

Uum passim a *M. Tullio Cicerone* commemorata esse ARBITRIA FUNERIS (a), nec tamen eorum uel a *Lilio Gregorio Gyraldo* (b), uel a *Petro Morestello* (c), uel a *Josepho Laurentio* (d), uel a *Jacobo Guterio* (e), uel a *Joanne Meursio* (f), uel a *Joanne Kirchmanno* (g), uel a *Journe Andrea Quenstedio* (h), in iis, quos de re veterum funeraria ex instituto conscriperunt, libris usquam mentionem esse factam animaduertem, operaе premium me facturum existimau, si, quae lucem illis *Tullii* verbis afferent, aliqua dissererem.

Arbitrium sane Romani, quicquid suopte iudicio, sine legis formula, ex aequo et bono, et ex bona fide, dicendum, faciendumque, homo statuisse, in uocabuli propria uocitarunt (i). Non igitur priuati cuiusque solum, ut causam, questionemque, decideret, exorati (k), sed magistratus etiam, domini, militariaque, de re dubia censentis, pronunciata (l), usu populari arbitria dicta esse reperimus. Hinc testamentum quoque a Jure consultis (m) uocari arbitrium scimus, et pecuniam, quam pro iure monopolis reipublicae publicani soluebant, arbitrium appellari *Jo. Frid. Gronovius* (n) contendit. Quod, quamuis, nulla veterum auctoritate nixus, ex ingenio statuisse uideri possit, mihi tamen praeter rationem et auctoritatem *Tullii*, *Liuique*, non uiderur iudicasse (o). Que uero significatio, quemadmodum sit ad FUNERIS ARBITRIA transversa, tametsi non ostendat (p), intelligitur tamen facile, ARBITRIA FUNERIS esse tum magistratus de impensis funebribus decreta, tum summa pecuniae, quam quisque priuatus, suo funeri impendendam, testamento legasset, aut pompe alterius finebri sive magistratus et ciuitas, sive amicus, haeresue, snape voluntate destinasset. Hanc Elbraei uno uocabulo ἀρbitριον (q). Graeci ταφὴν νομίζεντες (r), Latini funeratum (s), Germani Begebrābnis-Rosten, nominant. Eiusmodi ARBITRIA FUNERIS apud Aegyptios olim auctoritate publica, sed pro diuersitate fortunae hominum diuersa, fuisse constituta legimus (t). *Lycurgum* Spartanis, *Solonem*, *Platonem*, *Demetrium Phalerenum*, Atheniensibus, Romanis autem *leges XII. Tabularum*, *Sullam*, et legem

(a) In *Orat. pro domo sua ad Ponif.* cap. XXXVII. Videre praeextatos inimicos, nondum morte complorata, ARBITRIA petentes FUNERIS. In *Orat. in L. Pisone* cap. IX. Eodem in templo, eodem et loci usitatio, et temporis, non mei solum, sed patriae, FUNERIS ARBITRIA absulisti. In *Orat. post reditum in Scyth. cap. VII.* Nondum palam factum erat occidisse publicam, quum tibi ARBITRIA FUNERIS soluebantur.

(b) In *de Sepultr. et uario sepelici ritu libello*, quem uariis animadversionibus illustravit ac locuplerauit *Joannes Faer*, cum aliis autem Gyraldi Opp. *Joanne Iustinus* coniunctum Lugd. Bat. 1596 edidit, Tom. I.

(c) In *Pompa ferale*, seu de *Justis funebribus veterum libris X.* quos *Jo. Georg. Graenii Thes. Antiqu. Rom. Tom. XII.* continet.

(d) In *de funeribus antiquorum tractatu*, qui *Jacobi Gronouii Thes. Graec. Antiqu. Vol. XI.* inseritus est.

(e) In *libris tribus de Jure Manuum*, seu ritu, more, et legibus, prisci fueris, Tom. XII. *Thes. Ant. Rom. Graenii*.

(f) In *de funere libro singulare*, Vol. XI. *Graec. Ant. Gronouii*.

(g) In *libris IV.* de *funeribus Romanorum*, Hamb. 1575, Fr. 1576, 1577, 1578, editis.

(h) In *tractatu de Sepultr. uere: non*, Vol. XI. *Thes. Gronouii*.

(i) Conf. *Cicer. pro Q. Roscio cap. IV.* et *V.* Off. lib. III. cap. XVI. Top. cap. X.

(k) Unde honoraria dicta arbitria pro *Q. Roscio* cap. V.

(l) *Secreta uxoriae arbitrium*, Off. lib. III. cap. XV. et Top. cap. XVII. est iudicium magistratus de re uxoria, et arbitrium pro socio in *Orat. pro Quin. cap. III.* est, quod de sententiа magistratus est pro socio praestandum.

(m) leg. III. et IV. Cod. Theod. de Testam.

(n) ad *Liui libr. II. cap. IX.*

(o) Nam arbitrium salis uenienti priuatis ademum, et in publicum translatum, quum ad blandimenta plebi per id tempus a senatu data ab ipso *Liuto* libr. II. cap. IX. referatur, gravis onus plebis fuerit, necesse est, et, quum impensi pretii addatur mentio, pecunia publice soluenda. Arbitrium autem pro socio si nexum expedita orationis, in *Orat. pro Quintio* cap. III, non esse non potest predicta de sententiа indicis publicare a societate pendenda.

(p) Id quod uideret desiderare cl. *ancor Claudio Ciceronianae* in *Ind. Lar.* uoc: arbitrium.

(q) *Amos VI*, 7, quo loco de luxu exequiali Judeorum, quo carituri Judaei sint, captivi abduci, sermo est.

(r) *Aelianus Var. Hist. libr. VI. cap. XII.* Ea ipsa uoce *Demosthenes*, *Thucydides*, *Plato*, *Herodianus*, passim usi sunt.

(s) *Sponius Misc. Erud. Ant. Secr. II. Arr. II.* p. 54. ex antiquo marmore hanc vocem protulit, qua deinde Icti usi sunt.

(t) *Conf. Petrus Morestello Pomp. Fer. libr. I. cap. XV.* s. 9.

legem Fusiam - Famiam, posuisse huius generis ARBITRIA, qui *de funere ac sepulchra veterum* sunt commentati, e *Plutarcho et Cicerone* tradiderunt (u). Modum uidelicet ponit hominum in sepeliendis mortuis luxi latis legibus oportuit, ne, qui pii esse in suis uideri uellent uita functos, impii esse in uiuos exhauiendis opibus cogerentur (w). At quum ne illi quidem, qui leges de impensis funebribus tulerant, in iis modum tenerent (x), factum est facile, praecipue apud Romanos, ut, quantos quisque uellet, suopre arbitrio in elationem funeralium sumptus erogaret. Quorum autem sumptus funebres intra legum praeccripta consistebant, iis ARBITRIUM FUNERIS non tantum fuit, quod *uespillonibus*, aliisque funus *iuuaniibus*, ut scribit *Franciscus Hottomannus* (y), pendebat, uerum etiam quiequid, qui funus conducebant, ex magistratus sententia exigebant. In his primum *rumus* fuit, qui, lege *Servii Tullii*, regis Romanorum, pro quoque mortuo in aerarium Libitinae inferendus erat, ut mortuorum iniuri numerus posset (z), tum *naulum*, Charonti soluendum, *daevam* Graeci dictum, quod ori mortuorum inscrebatur (aa). Accedebant his, quae, ex instituto *Numae Pomplii*, in aede Libitinae prostaabant uenalia, funeri necessaria, lecti, sandapilae, uestimenta mortualia, coronae, unguenta, et si quibus alii, ex institutione pontificum, ad funus curandum opus esset (bb). Posthaec in ministros funerum, *libitinarios*, qui funus conducebant, *pollinatores*, qui mortuos lauabant, ungebant, coronabant, *vespillones*, qui efferebant, ac rogum incendebant, *euerriatores*, qui purgabant domum, elato mortuo; et, si quod funus esset splendidius, in *designatores*, *praeficis*, *tibicines*, *sisticines*, *ludos*, *monumentum*, faciendo sumptus erant, quos, si funus esset publicum, praetor, sin priuatum, dominus quisque, locabat (cc). Ad pontifices etiam, et aruspices, partem huius ARBITRII pertinuisse (dd), tacere nolim, ne, qui nostris temporibus partem de funebribus impensis sacro ministrorum ordini assignatam indignantur, nouo id, insolitoque, more fieri existimat. Certum autem ARBITRII FUNERIS prisci modum, quem *Plato* statuit (ee), uix ausi quisquam definire, quum commetiri etiam iudices cum facultatibus mortui, et relieta haereditate, sumptus exequias solerint. (ff). *Meneniū* quidem *Agrippam*, quum inops discessisset, ne sepulturae honore careret, collatis a populo in capita sextantibus, et *Valerium Poplicolam*, quadrantem singulis ciuibus conferentibus, publice funeratum esse, accepimus (gg). Isthac Roma pauperula, et Asiaticarum adhuc opum expers, egit. At quantus ille funeralium luxus fuit, quum uix ducentae minae, uix talentorum millia duodecim, uix undecim millia sestertiū, uix ducentorum millium impensa, uni funeri deducendo sufficerent (hh)? Haec uere ARBITRIA FUNERUM dixeris, quod arbitrio curantium locantiumque funus tanti stetere. Hinc autem facilis negotio licebit colligere, quae mens *Tullii* fuerit, quum ARBITRIA FUNERIS a suis inimicis esse *petitia*, *ablatia*, usque *solua*, quereretur. Nimirum uiri de se magnifice semper

2

et

(u) *Joann. Meursius de funere cap. XLIV. Jo. Andr. Quenstedt de sepulchra veterum cap. VI.*(w) Stupet sane lectoris mens, quum, quantis sumptibus *Timoleontis*, *Hephaestionis*, *Sallae*, *Metellae*, *C. Caelii Claudi Isidi*, aliorum, corpus elatum sit, a *Joanne Meursio de funere cap. XLIV.* citatum legit.(x) *Sulla* uidelicet, quam legem de sumtu funebre dederat, ipse in *Metellae*, uxoris, funeris efferen-
do transgressus est, teste *Plutarcho in vita eius*.(y) *In Observ. ad Dig. libr. XI. Tir. VII. leg. XV. et XXXVII.*(z) *Testimonium vius rei et Dionysii Halicarnassensis Archaeol. libr. IV.* iam pridem attulit *Joannes Kirchmannus de funere Romanorum libr. I. cap. IX.*(aa) *Jo. Meursius de funere cap. V. Jacobus Guterbeus de Jure Manium libr. I. cap. XVI. Petrus Ma-
restellus Pomp. Fer. libr. VII. cap. VII.*(bb) *Jo. Meursius de funere cap. XVI.*(cc) Idem *Meursius l. c. cap. XVIII. XIX. et Morestellus libr. II. cap. XIV. XV. XVI. XVII.*(dd) Pontifices enim sepulchralium locum designabant, et sacra Diis inferis, ac piacula, faciebant, ritusque sepulchrales regebant. Aruspices terrae mandabant fulgoritos. *Conf. Jacobus Gutbe-
rius de Jure Pontificis libr. II. cap. V. Joannes Meursius de funere cap. XVI. XXXVIII. Io. Kirch-
mannus libr. I. cap. III. Josephus Laurentius de fluminibus antiquorum cap. VI.*(ee) Minam enim unam minimi census hominibus, duas maioris, tres maximis, quinque primati-
bus, in funus impendendi ueniam concessat, libr. XII. de legibus.(ff) *Guterbeus de Iure Majestatis libr. III. cap. XIX.*(gg) *Valerius M. libr. IV. cap. IV., et Plutarchus in vita Poplicolae. Meursius autem l. c. cap. XLIV.* ex eo colligit, ad *Meneniū* funus florensis *IOC*, ad *Valerii IOCCL*, collectos esse.(hh) *Conf. Meursius l. c. ubi ducetas minus ter mille quingenis florensis, XI milia talentorum XII
millionibus florensis, XI milia sestierum quingensis quinquaginta millionibus florenorum; aestimat,*


et sensit, et locutus est, se uno quippe omineri reipublicae salutem niti ratu. ita, quum *L. Calpurnio Pisone Cassanino*, et *A. Gabinius*, Coss., A. V. C. 108888, a *Clodio*, tribuno plebis, in exilium actus, posteroque anno, *P. Cornelio Lentulo Spinthero*, et *Q. Caecilio Metello Nepote*, Coss., honorificentissima Romam reuocatus esset, gloriouse dixit, se, et secum rempublicam, uel funus, a consulibus illis, tanquam libitinariis, elatam, ab ipsis autem non prouincias solum, quas *Clodius* promiserat, sed instrumentum ejam omne e domo villaque *Ciceronis*, mercedis loco raptum esse, ut caperent quasi locati FUNERIS ARBITRIUM (ii). Quae quum scripta non viris eruditis, sed adolescentibus, uelim, quibus *Ciceronem* ego interpretor, hos quidem celebre nolim, a *Jacobo Gutherio* (kk), quid ARBITRIIS FUNERIS significet *Cicer*, et quid apud *Ausoniūm* (ll) vox arbitrium denotet, recte, breuis licet ac succinctus, disputatum esse, minus autem recte *Minois arbitrium splendidum*, de quo *Horatius* (mm) cecinit: quod *publicum* eius ac *solemne iudicium* est, de *pompa funebri* accipi. Sed haec uicunque existimauerint alii, et expuerint, haud ponam equidem in illo discrimine, dum non moesta funerum, sed laeta ingeniorum iuuenilium, arbitria nunc a me peti, auferri, solui, patiantur. Constitutum enim mihi apud animum est et communia patriae uota publicis illustris scholae uotis adiuuare, et praeteritorum temporum recordatione diuinorum beneficiorum memoriam renouare. Itaque ipsi mensis Junii Calendis post horam nonam matutinam in auditorio illustris scholae maiori prodibunt ad dicendum *Justus Benedictus Forber*, Misnensis, ut pacem inter AUGUSTISSIMUM REGEM nostrum, et REGINAM HUNGARIÆ, coalitam publica uoce, carmine Germanico, gratuletur, *Gothelf Dierericus de Ende*, Nobilis Misnicus, ut AUGUSTISSIMI REGIS iter in Polonia uotis Gallice conceptis prosequatur, *Benianus Gorofridus Melnerus*, Leubnicensis, ut res sacras 108888 gestas, sermone prorsa Latino, *Christianus Augustus Schildenberg*, Dresdensis, ut res ciuiles 108888 actas sermone prorsa Germanico, enarrat. Quarto autem post die, *pridiē Non. Jun.*, eodem et tempore, et loco, *Joannes Henricus Schlegelius*, Misnensis, de comitiis Spirensibus 108888 institutis carmine Germanico, *Christianus Henricus Garmanus*, Sprembergensis, de rebus sacris 108888 Latina prorsa, *Christophorus Gottlieb Stoppius*, Schleitauensis, de rebus ciuilibus 108888 gestis Germanica prorsa, disserent, *Joannes Nathanael Reichelius*, Misnensis, uero agmen clauder, argumenta, quibus *Joannes Bruyerius*, nobilis et eruditus Gallus, in libro, quem Maxime Reuerendus sacrorum in ludo illustri Portensi nunc antistes, *Joannes Joachimus Gottlob am Ende*, Germanice interpretatus est, inscripto: *Bernünftige und sinreiche Gedanken von Gott und der Religion* n. Deum esse, iuuit confirmatum, ordinate Latino sermone recensurus, Quorum industriam ut frequenti confluxu ad illumitem scholam, benuolaque auscultatione, et cohonestet, et incitent, omnes, qui literis, Afranaque rei, bene cupiunt, perreuerenter ac perhumaniter inuitantur. P. P. prid. Kalend. Iun. 108888.

(ii) Conf. *Oratio post reditum in Senatu* cap. IV, V, VI, VII. *Oratio pro Domo ad Pont.* cap. XXXIV. seqq. In *L. Pisone* cap. VIII, seqq. Addo his *Francisci Fabricii Historian* M. Tullii *Ciceronis*, p. m. 122. seqq.

(kk) de *Iure Poenitentia libr. II. cap. IX.* in *Graenii Thes. Antiqu. Rom.* Tom. V.

(ll) de *Profes. Epigr. XX. v. 4.* ubi, de *Sedato Rhetore*, Burdigalensi, cuius ossa Burdigalam translatata erant, canit: *Arbitrium de te sumit origo sum.*

(mm) I. IV. Od. VII. v. 21, seqq., ubi haec uerba sunt: *Quum de te splendida Minos summis arbitria.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-39208-p0004-4

DE

ARBITRIIS FVNERIS

AD INTERPRETANDA TVLLII VERBA

ORAT. PRO DOM. AD PONT. CAP. XXXVII. ORAT. IN PISONEM
 CAP. VIII. ORAT. POST RED. IN SENAT. CAP. VII.

PRAEFATVS ALI QVA

DE DILUVSTRES AC GENEROSISSIMOS ILLVSTRIS AFRANEI

HOROS

MNIS ORDINIS AC DIGNITATIS

I R O S

LITERIS ET AFRANAЕ REI

BENE CVPIVNT

A D

TANDOS ORATORES ADOLESCENTES

III. MENSIS JVNII

CCCCXXXXVII

NONAM MATVTINAM

DICTVROS

RENTER AC PERHUMANITER

INVETAT

HILVS GRABENERVS

TRIS AFRANEI RECTOR.

MISENAE

VSTVS GODFREDVS LOEVVIVS.



Farbkarte #13

